

simul rem ipsam denotare videntur, quia simul ac hanc vocem uterque exprimo, si ei nihil addatur, innuo rem ipsam, & significo v. g. duos homines. Ad signum autem, à quo tota enunciatio accipere debet ratione quantitatis appellationem requiritur, ut semper addatur voci categorematicæ, v. g. in casu recto positæ, in obliquo enim si ponitur, habere quidem potest rationem signi, non tamen ab eo.

TH. III. Adverbia, quæ universalitatem significant, non sunt signa, à quibus enunciatio ratione quantitatis possit denominationem accipere. Sunt, qui adverbia pro signis agnoscunt, inter quos est Keckermannus, qui statuit, quòd adverbia loci & temporis universalitatem significantia, enunciationem reddant universalem, ut sunt v. g. Semper, Ubique &c. hæc & similia adverbia dicit efficere enunciationes universales, e. g. Semper pii sunt in hoc mundo, Semper Diaboli adversantur hominibus, Ubique homines sunt peccatores. Has enunciationes dicit Keckermannus esse universales, ideò quod adverbia his enunciationibus apposita universalitatem significant, de quo tamen non immeritò dubitatur: Dicendum potius, has enunciationes non esse universales nec particulares, quod probatur inde, nam ad hoc ut enunciatio sit universalis vel particularis, requiritur, ut habeat signum, quod significet utrum subjectum accipiatur pro omnibus inferioribus, an pro aliquibus, adverbia autem adducta subjectum nullo modo distribuunt. Deinde sententiæ huic repugnat in primis, quod ejusmodi adverbia in enunciationibus ponuntur, ut nihilominus earum subjecta signa vel universalialia vel particularialia vel habeant, vel saltim recipere possint: ac vero si